ORATIO IOHANNIS BAPTISTÆ ADRIANII; HABITA IN FUNERE IOHANNÆ...

Giovanni Battista Adriani

Digitized by Google

Digitized by Google

1114. 12

Digitized by Google

M. 1114-12
AI

ANNIS BAPTISTAE ADRIANII;

n funere IOHANNAE Auſtriacæ
Vxoris FRANC. Sereniſsimi Mag.
DVCIS ETRVRIAE.

Florentiæ, in Æde Diui Laurentij,
XII. Kal. Maias.



Florentiæ, Apud Iunctas.
MDLXXVIII.
Cum Licentia, & Priuilegio.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

ADRIANII;

unere IOANNAE AVSTRIACAE *oris* FRANC. *Sereniſs. Mag.* DVCIS ETRVRIAE.

QVAMQVAM ea ſatis laudata videri poterant Sereniſsime Magne Dux, Pater ampliſsime, nobiliſsimi oratores, honeſtiſsimi proceres, clariſsimiq; Magiſtratus, quæ comuni conſenſu, & omnium ore laudarentur; hoc tamen honore, qui ſupremus excellenti fortuna, atq; eximia virtute mortuis tribui ſolet ſuauiſsimam vxorem tuam Dux magne, cum cætera omnia, quæ fieri conſuerunt magnificentiſsimè expleſſes cumulare etiam voluiſti. in quo non ſolum perſonæ dignitati, & incredibili virtuti, ſed etiam totius ciuitatis ſtudio, & deſiderio, quò illam magis quam credibile ſit proſequebatur conſuluiſti. & ſanè tantam nobilitatem, tantam in ampliſſima fortuna manſuetudinem, tantam in tuos ciues, reliquoſq; mortales humanitatē, & in magnis opibus modum non oportuit ſilentio prçteriri. quod vt à te piè, ſapienterq; eſt factum, ita feciſſet Deus optimus maximus, vt quæ meç partes ſunt in laudatione Sereniſsimæ huius Reginæ celeberrima hac pompa, pari facultate, aut ſaltem tranquilliori mente, & ſenſu minus perturbato tacere potuiſſem. Et ſi enim omnium eorum, quæ laudabilia ſunt ea copia in ipſa

riri poſsi
ter proferre, diſtinctè diſpon...
omnis pereat neceſſe eſt, vt melius fuerit ſilume, ...
ptè importuneq; dixiſſe. quod vereor ne mihi hoc ...
dierna die accidat. Cum enim ante oculos poſita
imaginem extinctæ Sereniſsimæ mulieris, quam ...
diuinam colueram, & quam paulò antè florentiſsima
na vtentem videram, cum lugubrem huius celeberrimi fani ornatum circumſpicio, cum te magne Dux mœrentem cum honeſtiſsima cohorte, atroq; amictu inuolutum, cum publicam calamitatem animo mecum reputo, non poſſum vehementer non commoueri, & toto corpore non perhorreſcere, vt nec memoria, nec lingua ſatis officio ſuo fungi poſsit. ſubit etiam animnm rerum humanarum fragilitas, quæ enim paulò antè ad omnem dignitatem floreſcebant, nunc aduerſæ fortunæ impetu proſtrata iacent. quæ cogitatio vehementer me afficit. ſed tamen in publica hac acerbitate quod me facere oportere intelligo enitar ampliſsimi viri quantum dolor, & lacrimæ ſinent, comunem hunc mœrorem referendis illius laudibus aliqua ex parte ſolari, & præclariſsimæ mulieris, & eximijs dotibus ornatæ memoriam animis veſtris commendare. quod vnicum videtur viuis deſiderij eſſe leuamen, & mortuis ſi quid adhuc humanas res curant ex honeſtè, pieq; vita peracta ſolatium. ſed antequam ad bona ipſius fortunæ, moreſq; diuinos referendos accedo, mihi monendi eſtis me, quamuis multa ſim dicturus multo tamen plura eſſe relicturum. vix enim è ſingulis bonis, virtutibuſq; optima quæque, atq; eximia, nec tamen omnia carpam. Quis enim poſsit vel tota die infinitum numerum bonorum, quæ aut à fortuna, aut à parentibus, aut à patria, aut à natura larga manu accepit, nedum quæ ipſa diuino ingenio optima & quam plurima ſibi comparauit referre? quæ quamuis magnificè, & magis ex laudandi more, quam ex veritate illius morum ignaris dicta videri poſsint, ij tamen qui illam cognouerunt, quiq;

aliquan-

[illegible] tra modum
[illegible] autem apud mortales & iure
optimo præcipuè laudabile eſſe exiſtimatur genus
[v]nde quis originem duxerit; ij enim maximè generoſi, [illegible]s, atq; illuſtres habentur, quorum maiores ob excel[illegible] virtutem digni aliquando habiti fuerint, qui alios mortales æquo iure regerent, & eorũ commoda curarent, & tutos ab aliorum iniurijs præſtarent. atq; eorum etiam nobilitas augetur ſi hoc in aliqua gente continenter, & per aliquot ſecula factum fuerit. ij enim, vt qui inſitam habeant natura vim aliquam excellentem, & regiam nobiliores habentur, vt iure digni eſſe videantur qui alijs præſint. atq; hoc eo magis ſi quando inueniantur aliqui (quod tamen raro fit) qui tantum virtutibus, & rebus geſtis, & publicis beneficijs reliquis mortalibus excellant, vt propter admirationem ſponte ſe illis gubernandas, & defendendas fortiſsimæ, ac liberæ nationes tradiderint. quod Auſtriacæ familiæ, vnde à patre originem ducit, hæc, in Germania obueniſſe ita omnibus cognitum, teſtatumq; eſt, vt verbis minime ſit opus rem confirmaſſe. quæ enim familia in toto terrarum orbe reperitur, cui tot, & tam fortes nationes ita libenter paruerint? longum profectò faciam ſi referre velim quot, & quam illuſtribus titulis clari floruerint omnes; qui ex ea familia tanquam ex Herculea ſtirpe extiterunt. Quid dicam de Romani Imperij maieſtate, quæ in ea gente iam per tot ſecula incredibili cum dignitate viget cum omnium mortalium gaudio nõ ſolum conſentientibus alijs magnis Principibus, ſed etiam adiuuantibus? quę dignitas niſi fortiſsimis, & maxime generoſis viris non cõmittitur, qua nulla inter humanas nec maior nec auguſtior eſſe intelligitur. vt enim mittamus Rodulphum illum priſcum, & alios nonnullos antiquiores, qui principes ob egregiam virtutẽ auguſta illa corona ornati fuerunt, noſtra hac, & patrum noſtrorũ memoria e cõtinenti ſerie quot in illa familia numerantur Imperatores? atq; id quod vix credibile videatur è ſolemnibus Principum Germanorũ apud quos eligẽdi ius eſt,

comitijs.

comitijs, liber...
in vlla alia gente eſt factum. Federicus ...
nus primus, Carolus quintus vir impiger, atq; om-
peratorum accerrimus huius noſtræ patruus, Ferdin-
pater, Maſsimilianus ſecundus frater, & poſtremò qu
magna cum gloria, maiori tamen ſpe Imperatoria v... u-
te fulget Rodulphus alter fratris filius. Quorum om-
nium ſi velimus virtutes & res ſumma cum gloria geſtas re-
ferre, nihil aliud ſit, quam memoriam multorum ſeculorũ
explicare, quod minime faciendũ eſt. mittatur etiam quod
illius frater patruelis Caroli quinti filius omnium regum
maximus, atq; opulentiſsimus in ditiſsimis Hiſpaniæ regnis
ſumma cum dignitate, & pietate fortiſsimis populis impe-
rat, & idem in Italia regna iure optimo poſsidet, & ad e-
xtremum vſq; Occidentem quaſi alterum terrarum orbem
Hiſpanorum virtute partum ſubiectum habet, vbi Chriſtia
nam pietatem ſeduló exercet. Quid de materno genere
dicemus? Non ne Anna huius noſtræ mater ab illa gente
eſt, cui Pannoniæ, & Boemiæ regna multæq; alię prouinciæ
honeſtiſsimæ & fortiſsimę libẽter paruerunt? quæ cum Tur
cis perpetuis omnium Chriſtianorum hoſtibus continenter
bellum geſsit? quæ ſæpe ſuorum regum corporibus iter
pro ſalute populorum eiſdem interclusit? atq; à ceruicibus
noſtris imminentem teterrimam peſtem, diramq; ſeruitu-
tem reiecit? quod bellum quaſi hæreditariũ Auſtriaca gens
ſemper deinde expetiuit, & fortiſsimo animo exercuit.
Quòd ſi quod Grecis antiquiſsimis temporibus, & alijs na-
tionibus licuit, nobis etiam liceret, vt ob fortitudinẽ, & ob
res clariſsimè geſtas, & diuina in humanum genus beneficia
mortalibus pietate, & heroicis virtutibus pręſtantibus im-
mortalitas, diuiniq; honores tribuerentur, profectò nulla
familia in omni memoria reperiretur, ex qua tot, & tam cla-
ra lumina celum exornare potuerint, quot ex Auſtriaca,
quod tamen credendum eſt optimi Dei voluntate præcla-
riſsimis heroibus optimè de humano genere meritis eſſe
tributum. verumtamen quod licet & quod illis meritò de-
bemus

...ſiemus, vt de illorum præclaris factis, di-
virtutibus nulla vnquam ætas conticeſcat, hiſtoriæ ſemper loquantur, vt illorum gloria in animis omnium mortalium vigeat ſeculis innumerabilibus. nec ſolum bellicis artibus, quæ ſummam honoris dignitatem ſemper apud omnes nationes habuerunt, clari fuerunt, & maximè ſunt Auſtriaci Principes, & populorum gubernandorum ſcientia, in qua & longo vſu, & eximio nobilium principum ſtudio quaſi ex domeſtica diſciplina eò perfectionis deuenerunt, vt in eo genere omnes alios Reges, & Principes longo interuallo reliquerint, ſed pietate etiam, & benignitate, & clementia, & reliquis virtutibus manſuetioribus. quæ maximè Reges, & Principes decent. quibus & Deum optimum maximum, cui omnia debere ſe profitentur colere conſueuerunt, & ſuos populos quantum humana virtute præſtari poteſt beatos reddere, & reliquos mortales exemplo iuuare. vnde enim factum putatis, vt diuinum numen per tot iam ſecula tam propitium habuerit, atq; habeat illa familia, vt non ſolum regnet, ſed tranquillè, & glorioſè regnet, atq; imperet, & nouis ſemper imperijs nouiſq; ditionibus augeatur? niſi quòd quanto maiori poteſtate, atq; opibus fuerunt Auſtriaci Principes tanto ſemper Deo ſe minores geſſerunt, illumq; ſumma pietate, & ſanctitate publicè, & priuatim rite coluerunt. hoc enim ſemper proprium fuit auguſtiſſimæ illius familiæ. talis Maſsimilianus, talis Philippus filius, talis Carolus Quintus, talis Ferdinandus, tales omnes illius filij, quos ſingulos non neceſſe eſt nominare, quemadmodum nec illorum maiores, quos tales fuiſſe pro certo affirmare poſſumus. ſiquidem ex eadem familia celebrantur adhuc, quibus viuentibus humani honores, & mortuis diuini decretis pontificijs, & ceremonijs ſolemnibus traditi ſunt, & in numerum diuorum relati. quas virtutes ita admirata eſt Germania omnis, vt quamuis per ſe, ſuaq; natura omnis illa natio eſſet ferox, & bellicoſa, & in qua ſolerent pleriq;, & ſcirent, & poſſent ſibi ipſis imperare, & in qua multi alij

eſſent

eſſent Principes dignitate,& nobilitate in
ſtriacis maluerit obſecundare,& parere, idq; ſibi h
mum, & maximè vtile eſſe duxerunt, qui ſibi ſua iura ſer
uarent, qui tutos ab hoſtibus præſtarent,& quorum ſub im
perio facillimè,& honeſtiſsimè vitam traducerent. Viri qui-
dem in hac familia multis ſeculis tales fuerunt. Quid fœmi-
næ? ſi quid etiam fieri maius poteſt ſuis virtutibus clariores.
vt inter Reges, maximoſq; Principes illi beatiſsimi ſemper
habiti fuerint, quibus ex illa familia aliquam in matrimonio
habere, atq; ex ea liberos ſuſcipere licuerit. quod ex noſtra
hac,de qua ſermo eſt inſtitutus, deq; illius ſororibus,& fra-
tris filiabus intelligi poteſt. ſiquidem non multis ab hinc
annis duo maximi, atq; opulentiſsimi Chriſtiani nominis
Reges cum illorum vterq; vnam è natis Maximiliani Impe-
ratoris ſibi in coniugium dari expetiſſet illarum nuptijs ſua
regna, ſuas domos conſtitutas, & ſe beatiſsimos eſſe factos
dicere conſueuerunt. ſuis enim præclariſsimis virtutibus nō
ſolum ſuos viros ſibi amore incredibili deuinxerunt,ſed om
nibus alijs cum Gallis, tum Hiſpanis in aula, & vbique mi-
raculo fuerunt, multumq; aliarum moribus exemplo pro-
fuerunt. & quamuis Ferdinandi filiæ huius noſtræ ſorores
plurimæ fuerint,& ſingulæ virtutibus ſuis eximię,multò ta-
men pauciores fuerunt quam oportuit. harum enim coniu
gijs vniuerſi penè Chriſtiani Principes affinitatibus,atq; ami
citijs inter ſe ita deuincti, cōplicatiq; ſunt, vt difficile ſit mu
tuam concordiam ſanguine conflatam, & conglutinatam
diſſoluere. Quin etiam ab his præclariſsimis virginibus, &
illarum matre Regina non magis regnis, & opibus regijs,
quam pietate inſigni factum eſſe credi poteſt,vt quod verę
pietatis,& ſanctæ religionis in Germania reliquum eſt, to-
tum harum exemplis,& vitę inſtitutione nitatur. ex dome-
ſtica enim diſciplina veram, incorruptamq; pietatem ſem-
per coluerunt,nec prauis, quæ circumferebantur opinioni-
bus imbui ſe vmquam ſunt paſſæ; nam caſtitate, pudiciaq;
ita inſignes fuerunt, vt ex tam ampla familia in tantis opi-
bus, in Regio cultu, in tot illecebris nulla vmquam ſit in-
uenta,

[illegible]o factis, ſed ne ſpecie quidem ad vllam in deſcenderit. in quo genere illud nullo modo eſt [illegible]cendum ex ſororibus huius noſtræ fuiſſe duas, quæ cum egum, & maximorum Principum coniugijs frui poſſent, & nobilibus populis imperitare, cũ perſunctę eſſent ijs officijs, quæ patri fratribus & ſororibus oportuit, neglectis omnibus humanis rebus maluerint vitam in Dei cultu ſolę, caſtè, integrè, & ſanctè peragere, quod in Regio genere rarum admodum eſt. nam aliæ in magna illa prouincia hæc Bauarorũ, illa Sicambrorum Ducibus, alia Poloniæ Regi maximis & potentiſsimis Principibus in matrimonium ſunt collocatæ. Quo bono ipſa etiam Italia per ſe ſatis clara magna ex parte nobilitata eſt. ſiquidem Mantuę Illuſtriſs. Duces vnam, atq; alteram ex illis vxores duxerunt; vnde etiam is qui regnat filios ſuſcepit ingenuos illos quidẽ adoleſcentes, & egregię indolis Principes & venuſtate inſignes. Alfonſus etiã ſecundus Eſtenſis clariſsimis maioribus procreatus Ferrariæ Dux ex auguſtiſſima illa familia, Barbaram pietate, & moribus eximiã coniugio ſibi adſciuit; ſed nõ adeo fœlici, ſiquidem illi iniquo fato mori ante obtigit quã vllum viro filiũ, quod oportebat procreare potuiſſet. Iohanna è multis erat reliqua natu minima, ſed virtute, & animi nobilitate nulli inferior. quæ cum à multis expeteretur, illius enim nuptias, cum potentiſsimi Principes ambirent Franciſco Magno Etruriæ Principi dignitate, opibus, & nobilitate, & annis florenti nupta eſt. Cum enim Coſmus pater Magnus Etrurię Dux aucto imperio, conſtituto Reip. ſtatu nihil magis ad confirmandas opes Regni, & ad dignitatem amplificandam vtile eſſe putaret, quam vt filium Principem, quem maximè amabat, & cui iam Reip. habenas tradiderat, & de quo maximam ſpem cõceperat fore qualem optaret, atq; oporteret honeſto aliquo matrimonio deuincire, vnde Italię, & ſuis populis maior ſplendor, & pręſidium ad iungeretur, & qui in Regnum ſuccederent nepotes generoſa ſobole procrearentur. nullã potiorem duxit illi inueniri poſſe vxorem, quam ex Auſtriaca familia, cum qua ſemper antiquiſsima neceſsitudine in Rep. adminiſtrãda coniunctus fuerat, & quam ſemper ſuſpexerat, & cui plurimũ ſe debere pro-

 fitebatur.

ſitebatur hanc igitur ſapientiſsimus ille vir deleg-
uit, quam & domeſticis inſtitutis, & optimo inge-
cunditate illius familiæ propria ſat sfacere poſſe putabat ſ-
lio, & ciuitati, & omnibus Etruſcis populis. nec ſapientem
rum ſefellit opinio; vix enim credibile eſt quantum ſpei om-
nia in illa reſpõderint. vt enim nobiliſsima ſponſa in prouin
ciam hanc honorificẽtiſsimè deducta eſt, & pompa celeberri-
ma excepta, & in Regias ędes perducta omni ornamentorũ ge
nere refertiſsimas, nulla hominum conditio fuit, quæ nõ in-
gentis lætitiæ aperta indicia dederit. vix enim credibile eſt
quantopere illius prę́ſentia omnis ciuitas exhilarata ſit, opti-
mamq; ſpem cõceperit fore id tamquam ſalutare ſidus, quod
ſecum omnia bona ferret. quod ipſa res deinde comprobauit.
vt enim perſuncta eſt ijs, quæ in nuptijs fieri conſueuerũt, in
quibus ſe modeſtiſsimam præbuit, ex commutatione vitæ, &
conditionis, quod plerę́q; facere ſolent animum nulla ex par
te mutauit. & ad id ad quod cũ ſororibus inſtituta erat ſtatim
redijt, ad Dei cultum, & ad illa omnia officia quę Chriſtiana
pietas docet; cũ interea aliæ inferioris etiã loci mulieres iocis,
ludis, conuiuijs magnam vitæ partem contererent, illa in tem
plis eſſe, rebus ſacris loco operam dare, ſacrarũ virginum cœ-
nobia viſere, illis ſemper aliquid de ſuo largiri, paupertatem
multorũ quos probi moris eſſe intelligeret ſubleuare, de ſum
ptu ſuo ſemper aliquid auferre, quo alijs quod daret haberet;
domi pudẽter, & modicè degere, & cum honeſtis matronis,
ac virginibus, quas aut ſecũ eiuſdem ſtudij ſocias duxerat in
comitatũ, aut ſibi ex Florentina nobilitate aſciuerat honeſtæ
alicui rei ſtudere, & præcipuè in Dei laudibus meditandis aſ-
ſidue verſari, nullos libentius audire, quam eos qui in diuina
ſcientia ſapientiores haberentur, quorum ſemper apud ſe ali-
quos habuit, quorũ conſilijs vteretur. Nec quiſquam hoc pu
tet ab illa fieri conſueuiſſe, quòd in cæteris rebus minus vale-
ret. hoc enim ſemper illa ita ſenſit, & dicere etiam cõſueuit,
res maiores, & quæ ad Remp. pertinerent, & regnorũ admi-
niſtrationem viros tractare oportere, qui ad illud à natura fa
cti eſſent. fœminas ad parendum viris, & ad procreationem
liberorum, & illorum educationem; & non niſi neceſſariò
ad res

ſtremodi maiores eſſe adhibendas; ad quod tamen opus fuiſſet, ſatis & ingenio, & meditatione, & domeſtica diſciplina inſtructa erat. In altero autem genere ſe exercebat nobiliſsima, & ſapientiſsima hæc mulier, nempe in eo, cuius fœminea natura eſt capax, & ex cuius perfunctione officij parem laudem capere poſſet. illa enim mulier magnis laudibus meritò efferri debet, quæ in eo, quod illam præſtare oportet optimè ſe gerit. in quibus virtutibus inter multas alias principem locū optinet modeſtia, temperantia, & in quibuſdam rebus tollerantia, & fortitudo, in quibus illa cæteris omnibus vt fortuna, ſic etiam re præſtitit. in omnibus enim factis, dictiſq; ſe modeſtiſsimam præbuit, ac temperatam, & cum omnium nobiliſsima eſſet, & auguſto genere procreata, & in magnam fortunam, & omnium bonorum copia affluentem excepta, ita vt omnibus præeſſet, numquam tamen ſuper bē ſe geſsit, nec arrogantiæ aliquod ſpecimen dedit. quod ita omnibus teſtatum eſt, & omnium ore celebratum. vt nihil in orbe terrarum magis teſtatum, ac celebratum ſit. quam quidem virtutem ita omnis hæc ciuitas admirata eſt & ita ſumma beneuolentia, vel potius pietate proſecuta, vt eam nō ſolum coleret, ſed quaſi numen aliquod de Cœlo lapsū veneraretur. hoc autem quod dicimus duobus temporibus præcipuè teſtatum eſt, altero cum primū in vrbem ſumma totius ciuitatis lætitia accepta eſt, huius enim virtutis indicia ſatis aperta antea dederat. cum enim ſocer, & vir omni ingenio, atq; opibus contendiſſent, vt illius aduentus eximio apparatu, & nobiliſsimorū opificum egregijs artibus celebraretur, nihil tamen fuit clarius, nihil illuſtrius in tota hac pōpa comuni gaudio, quod ciues, & cuiuſuis loci, atq; ordinis homines oſtenderūt. nunquam enim memini vidiſſe me populū Florentinum nec hilariorē, nec gaudio maiori affectū. alterum autem tempus fuit, anno præterito cū poſt aliquot fœminas in lucem datas ardere et deſiderio virilis prolis (quod vnū maximè illa, & omnes non ſolū cupiebant, ſed votis etiā nuncupatis Deum rogabāt) infantē Principem peperiſſet in tantū lætitiæ excesſit, vt quaſi limphatus per vrbem ferretur; ſed (me miſerum) hoc multo magis nunc factum videmus. cum enim auditum eſt illam

cum fœtu ſimul mortẽ obijſſe tanto dolorẽ corr-
uerſa ciuitas, vt nõ maiori commouendam eſſe cre
omnis è veſtigio corruiſſet. quæ omnia argumenta eſſe vo
mus ingentis cuiuſdã virtutis omnibus nouæ, & fortaſſe num
quam aliàs auditæ, qua illa ſibi arctiſsime deuinxerat nõ ſolũ
virum, & ſuos, ſed omne hominũ genus, vt grauiſsimo caſu
nulli ſint qui nõ lugeant. ex quo quantas habeat vires virtus
eximia, & animi nobilitas omnibus manifeſtũ eſſe poteſt. nõ
enim pulchritudo, nõ diuitię, nõ regni nobilitas, & maieſtas,
non gemmæ, nõ aurum, non ingentes opes, atq; in his magna
auctoritas tantum profectò mouiſſent mortales, quantũ ve-
ra, ſincera, & nõ ſimulata pietas, & manſuetudo, & humilitas
quędam admirabilis in altiſsimo nobilitatis gradu collocata;
quæ videntur fuiſſe radices omnium cæterarum virtutũ, qui-
bus illa in oculis hominũ ita fulgebat, vt ornamẽta corporis,
quibus ſemper modeſtiſsimè vſa eſt, & magis ad honeſtandũ
gradum in quo ſita erat, quam ad vllum cultũ, in ſplendore
illarum nõ apparerent. vnum enim illa ornamentũ mulie bre
eſſe putabat, munditiam corporis, & animi virtutem. medi-
camenta autem ruboris, & candoris illa ita ſemper reſpuit, vt
nõ modo ſe, ſed nobiles omnes, honeſtaſq; matronas dedece-
re affirmaret. quibus moribus non parum profuit in deterius
labentibus moribus noſtræ ciuitatis, quò illi etiam multo ma
gis debemus. Hęc autem alicui fortaſſe leuiora videãtur, ego
autem habeo multo maiora etiam argumenta his diuinarum
huiuſce diuinę mulieris virtutum, & exempla, quæ vix viden
tur eſſe humanæ naturæ, & quibus vix ſapientes homines, &
in rebus duriſsimis multũ diuq; exercitati, & honeſtatis quàm
maximè appetentes ſatisfeciſſent. ad quod explicandum cum
accedo horrore quodam ſentio me perfundi; quoq; maiorem
virtutem in ea fuiſſe intelligo, eo excrucior magis tantum bo
ni ex oculis, vel potius ex animis noſtris eſſe ſtatim abreptũ.
cum enim iam XIII. annum cũ viro fuiſſet, cumq; eum ama-
biliſsimis moribus, & diuinis virtutibus, & fœcunditate mirũ
in modum charitate mutua ſibi deuinxiſſet, & omnibus bo-
nis, & beneuolentia populorum floreret, & quæ hoc vno ca-
ſu excepto quo & ipſa & ciuitas, & Etruria penè tota conci-
dit, &

rum,& aulam,& omnes ſuos ferè mœrore confecit, omnes mulieres beatiſsima haberi poterat,cum iam partus inſtaret,qui omnium poſtremus eſſe debebat,doloribuſq; iam grauioribus tentaretur virtutem a Deo,& opem precata eſt, vt quicquid eueniret æquiſsimo animo perferre poſſet. cum autem diù,multumq; enixa eſſet credidit id ſibi euenturum, quod euenit, breui eſſe moriendum; virum igitur illa ſuum ſe hortantem conſtantiſsimè eſt allocuta, ſibi minime dolendam eſſe mortem,quippe quę ea conditione nata eſſet, illud præcipue ſibi dolere, quod fœtum quem vtero gereret in lucem dare non poſſet, præſertim cum crederet virilis eſſe ſexus,illud ſibi in extremo caſu graue eſſe,in cæteris nihil deſiderare amplius, ſe enim ſatis bene,ſatiſq; diù vixiſſe, cum id præſtiterit,quod maximè optauerat,vt filiū illi hæredem regni pepererit,& filiolas,quarū matrimonijs,& affinitates,atq; opes Principum virorū ſibi parare poſſet,quas illi in manum tradebat,& cōmendabat; in reliquis nihil eſſe quod illum rogaret,niſi vt familiam ſuam honeſtate,& nobilitate præſtantem benignè ac liberaliter tractaret, atq; ita demum vt ſe dignum eſſe cenſeret, ſperare autem ſe id,quod tota mente, & toto animo, ſemper expetierat breui fore vt Dei ipſius clementia, & benignitate non ſuis meritis ad ipſum propè accederet,atque inde opem,& auxilium illi, & ſuæ familiæ,& regno,& populis imploraret. expletis enim omnibus alijs officijs,quæ vxorem viro curare oporteret,nihil ſibi eſſe reliquū quod faceret. O mulierem,vita perpetua dignam,quibus laudibus tantam ſapientiam,tantam conſtantiam,tantam in omni genere virtutem efferemus? Ego quidem clariſsimi viri neſcio quibus verbis,quibuſq; ſententijs,tantam in omni genere excellentiam non modo ornare,ſed ne ſimpliciter etiam proferre poſsim. Vix enim credibile eſt in fœmineo genere tantam reperiri poſſe fortitudinem,vt cum relinqueret virū, quem maximè ſemper dilexerat, relinqueret dulciſsimos filios,relinqueret regnum opulentum,tantas opes,tantam dignitatem,illis tamen non moueretur,tanta enim ſpe incenſa erat fruendi rebus diuinis,atq; ęternis,quod per breui fore ſperabat, vt res omnes humanas quamuis cariſsimas prę illis nihiliface-

hiliſaceret. mirabantur omnes quæ aderant ad part[illegible]
catæ primariæ ſœminæ, nec lacrimis temperare pote[illegible]
autem intrepido animo, & vultu cōſtantiſsimo mortē æquiſ
ſima mente expectabat, adhibitiſq; ijs, quæ ſunt illius tempo-
ris ſacris, & expiatis ſiquę ſupereſſent humanę labis culpis ſen
ſu integerrimo inter manus nobiliſsimarū matronarū extre-
mum emiſit ſpiritum. cuius quidem diſceſſus eò miſerabilior
nobis eſſe videtur quod vitam florētem annis agebat, & om
nibus his rebus affluebat, quas pleriq; vitam beatam explere
poſſe humanitus credunt. quippe quæ auguſtiſsimo genere
procreata, moribus penè diuinis ornata, à viro nobilitate, di-
gnitate, & opibus vigenti amantiſsime, atq; honeſtiſsimè ha-
bita, à populis Etruſcis admirabili quodammodo antequam
cognita eſſet expetita, mox publica ingenti lætitia excepta, ab
omnibus probata, & diuinitus culta, & filiolo in Regni ſucceſ
ſionem quod vehemēter expetierat aucta, vix habebat quod
vltra deſideraret. Qui caſus quantum dolorem viro, quantū
ſuis, quantum ciuibus, quantū Etruſcis populis inurat nemo
eſt qui nō intelligat. Me miſerū, tanta ne bonitas, tanta ne ſan
ctitas, tāta in omnes homines comitas, & māſuetudo tā breui
tempore interijt? me miſerū iterū, ac ſępius, tanta ne ſpe tam
cito deiecti ſumus, vt qui alterū Principem quo Reſp. in om-
ni caſu niteretur in vlnis geſtare, geſtire præ lętitia, colere, ad
mirari, venerari cum matre ſperabamus, illum, & matrem mo
mento temporis amiſerimus? miſerum coniugem, miſerū pa
rentem, cui eodem tempore, & ſuauiſsima vxore, & dulciſsi
mo filiolo eſt carendum, miſeras filias, quę matre amiſſa quid
ſe ſolari poſsit vix inuenient. nam quid dicā de honeſtiſsimo
muliebri grege? quid de illuſtribus viris, qui illi magis inſer-
uire, quam alijs imperare ſibi honeſtiſsimum putabant? quid
de tota aula? quid de florentiſsima hac ciuitate, quæ hoc caſu
ita deformata iacet, vt ſui doloris ſolatium vllum ſe vnquam
poſſe reperire diffidat. id enim amiſit, quod nō modo nō ſpe
rare, ſed ne optare quidem tacitè auderet. Ego quidem opti
mi proceres tanto dolore obrutus ſum, vt qui alijs mederi de-
berem, ipſe valde medicina egeam. quid igitur faciam? quò
confugiam? illuc arbitror ad Sereniſs. Iohannam, vt vnde nos

oppreſ-

turbidiſsima hæc repente tempeſtas, inde lumen il-
a enim nunc pro ſumma pietate, pro vita ſemper
integerrime acta, pro animo ab omni labe ſemper purgato,
prò ea ſpe, quam ſemper in Deo habuit celeſtes ſedes, quę pijs
debentur, incolit, & ex altiori loco nos ſpectat; vt enim prin
cipibus viris, qui iuſte, & fortiter ſuos populos rexerunt, ac
etiam vel periculo mortis defenderũt certus locus in cœlo exi
mius adeo tribuitur, ſic & ipſę mulieres, atq; illę pręcipue quę
iuſtos Reges populis daturę erant, ſi in ipſo partu animã pro-
fuderint in præcellas quaſdam ſedes eiuſdem Dei iuſſu exci-
piuntur, vbi ſempiterno æuo, & optima conditione beatiſsi-
mæ fruantur. illinc & coniugem quem viuens dilexit & nunc
beata maximè, vereq; amat, ac omnem Regiam domum, om
nem familiam ſuã paulo ante florẽtem luctu, & ſquallore ſuo
diſceſſu conſternatam videt, quo quidem aſpectu non poteſt
non aliquantulum commoueri. inde igitur mihi illam virum
alloquentem hoc modo audire videor. Suauiſsime vir quid
me tuo luctu, meamq; quietem perturbas? ego enim vita quę
vera eſt nunc fruor. iſta quam vos vitam putatis vmbra vitæ
potius, quam vita eſt dicenda. ſatis iam mihi tuo luctu, tuoq;
dolore eſt factum, ſatis dignitati, ſatis pietati eſt datũ, a te om-
nia in me officia grata, & honeſta, quæ humanitus tribui pote
rant expleta ſunt. vnum eſt reliquum, vt filium noſtrũ infan-
tem Principem, cui regnum debetur, quod amoris pignus ti-
bi reliqui ita cures, ita pares, ita inſtituas, vt dignum noſtra no
bilitate, auoq; Coſmo, & ſuis maioribus ſe gerat, vt populos il
li adeo ad regendum traditos fortitudine, iuſtitia, & pietate
ita gubernet, vt illi beatiſsimi ſint, & ipſe viuens gloria illuſtri
apud omnes mortales vigeat, & poſt diuturnam fœlicitatem
dignos liberos qui regnent relinquens nobiſcum veris bonis,
veraq; gloria ſemper fruatur. quod vt futurum video, ita tibi
certo ſpondeo. in reliquis nihil eſt, de quo te moneam. vale
mi ſuauiſsime vir. Hæc ſunt Sereniſs. Magne Dux, quæ pia
vxor te amantiſsime rogat. ſatis igitur iam factũ ſit cum pie-
tati, tũ humano officio, & coniugij deſiderio. tempus eſt vt
modus luctui, & dolori ponatur, vtq; ea quæ omitti in publi-
ca adminiſtratione ſine culpa non poſſunt, & à te, & ab alijs
tuis auſpicijs mature, peropportuneq; curentur. Dixi.

Digitized by Google



Z
1114.12
99 960666
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google